Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Setentiae LX spiritualis religiosis perutiles - Cod. Ettenheim-Münster 237

[S.l.], 1661

Exemplum

urn:nbn:de:bsz:31-127475

Visual Library

Exemplum

165

Quid in extremis puncto agonizantis sit ab aliquo devoto viro attentissimé peragendum.

Fuit quidam Papa, qui dum in extremum venisset, interrogabat sacellanum suum, virum idoneum et devotum, quem plurimum diligebat, quibus suffragiis post mortem cum vellet apud Deum iuvare. Qui respondit, quod omnibus modis quibus posset et quaecunque iuberet pro salute animae suae facere vellet. Tunc Papa ait: Non peto aliud à te subsidium, nisi dum videris me in agonia positum orationem Domini pro me tribus vicibus dicas. Qui se hoc libenter facturum promisit. Ad quem Papa: Cum primum Pater noster dixeris Dic: in honorem agoniae Iesu Christi, obsecrans, ut multitudinem sui sudoris sanguinei

quem prae timore angustia sua pro nobis
copiosissimè effudit, contra multitudinẽ
peccatorũ meorũ suo patri offerre dignet
pro omnibꝫ angustijs quas peccatis meis
exigentibꝫ merui. Cum secundũ Pater
noster, dixeris: Dic in honorẽ omnium
passionũ et amaritudinũ Jesu Christi quos
in cruce sustinuit, maximè in illa horâ
quando anima eius sanctissima de suo corpor
sacratissimo est egressa, ut eas patri suo
offerre et ostendere dignetur, contrà omnes
poenas et passiones quas pro peccatis meis me
meruisse pertimesco. Cum tertiũ Pater n.
dixeris dic in honorẽ illius ineffabilis
Charitatis Jesu Christi quae ipsum de caelis
ad terram ad tollerantias omniũ harũ passionũ
traxit ut hac Charitate me saluare, et
caelos mihi aperire dignetur, qui meis
meritis saluari nequeo ac caeleste regnũ
obtinere. His dictis, promisit sacellanus
haec omnia libentissimè se facturum.

Quod et fecit cum diligentia et devotione
quibus potuit. Papa moritur et post
mortem sacellano se splendidum atque
coruscantem nimis ostendens, immensas
gratias sibi referebat, dicens absque omni
poena se fore liberatum. Nam post
primum Pater noster, inquit, Jesus Christus
sudorem suum sanguineum pro me ostendens
omnem meam propulsavit angustiam.
Post secundum Pater noster, amaritudine
omnium passionum suarum omnia peccata
ut nubem delevit. Post tertium Pater noster
per charitatem suam caelum reseravit meque
cum gaudio introduxit. Propter hanc
revelationem, quam praedictus sacellanus
multis referebat, in pluribus locis mos
inolevit, ut idem praedictus modus orandi
apud morientes devote servetur: sub spe
certissima quod ipsa oratio valeat
hominem a daemonibus liberare, peccata

diluere, et coeleste regnū aperire, auxili
domini nostri Jesu Christi. ./.

Exercitium practicum huius Exempli

Ad primū Pater noster, Kyrieeleyson
Christeeleyson Kyrieeleyson Pater.

Salvator mundi salva nos, qui per crucem
tuam et sanguinem tuū redemisti nos
auxiliare nobis te deprecamur Pater noster

Domine Jesu Christe per agoniā tuā san-
ctissimam et orationem, qua orasti
nobis in monte Oliveti, quando factus est
sudor tuus sicut guttae sanguinis de-
currentis in terram obsecro te ut multi-
tudinem sudoris tui sanguinei quem prae
timore et angustia copiosissime pro nobis
effudisti, offerre et ostendere digneris
Deo Patri omnipotenti Contra multitudinē
omniū peccatorum huius famuli tui N.
et libera eum in hac hora mortis suae a
omnibus poenis et angustiis suis quas pro

peccatis suis timet meruisse. Requiem
aeternam dona ei &c.

Ad secundum Pater noster. Kyri: Chri: K.
Domine miserere nobis Pater N. Ave M.
Sanctifica nos domine signaculo sanctae
crucis, ut fiat nobis obstaculum
contra saeva iacula omnium inimicorum
nostrorum: defende nos domine per
lignum sanctum et pretium iusti
sanguinis tui quo nos redemisti.

Oratio

Domine Jesu Christe, qui pro nobis
mori dignatus es in Cruce, obsecro,
te ut amaritudines omnium passionum
tuarum, quas pro nobis miseris peccatoribus
sustinuisti in Cruce, quando sanctissima
anima tua egressa est de corpore tuo
offerre et ostendere digneris Deo patri
omnipotenti pro anima huius famuli

R. et libera eam in hac hora exitus
sui ab omnibus poenis et passionibus quas
pro peccatis suis se timet meruisse.
Qui cum Deo patre &c.

Ad Tertium Pater noster.

Kyrieleison Christe. K.
Domine miserere nobis. Pater. Ave
Protege, salva, Benedic, sanctifica, et
sanctifica domine hunc electum
famulum tuum N. per signum sanctae Crucis
morbos averte Corporis et animae.
Hoc contra signum nullum stet periculum

Oratio

O Domine Jesu Christe, qui per os pro=
phetae tui dixisti: in Charitate perpetua
dilexi te, ideo attraxi te miserans
mihi tui. Obsecro te, ut eandem Chari=
tatem tuam quae te de coelis in terram
ad tollerantias omnium passionum tuarum

traxit, offerre et ostendere digneris Deo Patri omnipotenti contra omnes poenas et passiones huius famuli tui N. quas pro peccatis suis se timet meruisse, salva animam eius in hac hora exitus sui. Aperi ei ianuam vitae et fac eam gaudere cum sanctis tuis in gloria. Qui vivis etc. 148

Conclusio huius Exercitii.

Oratio

Domine Iesu Christe qui redemisti nos pretioso sanguine tuo, scribe in animam famuli tui N. tua pretiosa vulnera sanguine tuo, ut discat in eis legere tuum dolorem contra omnes dolores et poenas, quas

pro peccatis suis se timet meruisse:
amorem tuum, ut uniatur tibi amore
invincibili, quo a te et omnibus
electis tuis nunquam possit in perpetuum
separari. Fac eam domine Jesu Christe
participem sacratissimae incarnationis
passionis gloriosissimae resurrectionis
et ascensionis tuae mirabilissimae.
fac eam domine participem sacra-
tissimorum mysteriorum et sacramentorum
tuorum. fac eam domine participem
omnium orationum et beneficiorum
quae fiunt in Ecclesia tua sancta.
Et fac eam participem omnium benedictionum
gratiarum, meritorum et gaudiorum omnium
electorum tuorum, qui tibi placuerunt
ab initio mundi. Et concedi ei, ut cum
his omnibus in conspectu tuo gaudeat
in aeternum.

5. febr: 1749. S. Agathæ V. M.

Disce nunc omnia contemnere, ut tunc possis liberè ad Christum pergere. de imit. christi c. 23.

Contemptus mundi.

Pro religiosis.

169

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

4 Feb. 1754. S. Andreae Cors. Ep. Conf.

4 feb. 1754. S. Andreae Cors. Ep. Conf.

Aliorum dicta vel facta ne temere judicas, et superfluis curis te non implices, verba de=tractoria loqui et audire, quantum potes caveas. Lud. Blos. Consideratio Sui ipsius

Pro temerè aliorum facta judicantibus.

G.B. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK

gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST